65

BREVE

MI

S. D. N.

PAVLI PAPAE V.

Super confirmationem Bullarum, & Priuilegiorum ab alijs Summis Pontificibus concessorum in fauorem Religionis Sancti Patris Basilij Magni.





ROMÆ, M. DCVI.

Ex Typographia R.Cam.Apostolicæ.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

INiuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, vt Sacrarum religionum in militanti Eccleſia ſuaues in Domino fructus præſtantium paternam curam gerentes, ea quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa ſunt quo validius perpetuò ſubſiſtent Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communicamus. Cum itaq; ſicut accepimus fel: rec: Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter animaduertens Ordinem Sancti Baſilij, cęteros omnes regulares antiquitate præcedere, ac ex eo Dei Eccleſiam, chriſtianamq; rempublicam ab ipſius Ordinis initio vberes fructus recepiſſe, vt dicti Ordinis Monachi commodius altiſſimo famulari, regularemq; obſeruantiam ſeruare poſſent; per quandam ſuam perpetuò valituram conſtitutionem eos in vnam congregationem redegit; nonnullaque priuilegia, gratias, & immunitates, illasque præcipuè, quibus Congregatio Caſſineñ. illiusq; Monachi potiuntur, & gaudent, dictæ Congregationi ſic erectæ conceſſit, cui etiam Congregationi Monaſteria omnia dicti Ordinis, vbiq; exiſtentia perpetuò vniuit, & donec Monaſteria ipſa in commendam manerent mandauit, vt menſa Conuentualis in tot bonis ſtabilibus pro victu, & veſtitu, ac viſitatione Monachorum, alijsque neceſſarijs expenſis, atq; commendatarij iuxta Canonicas Sanctiones, ac pręſertim tenore litterarum Eugenij Papæ IIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri tenentur perpetuò ſepararentur;

Antiquitatem Religionis à Gregorio XIII declarat, ac in memoriam reducit.

Idē Gregorius cōceſſit Priuilegia Monachorum Caſſineñ.

Gregorius xiij. aſſignari mādauit Mēſis Monachalibus bona ſtabilia.

Sixtus V. cōſtituit Brutū Farnetū, vt perficeret, ſeparationem Menſarū.

Cumq; ſeparationibus huiuſmodi tunc minimè perfectis eiuſdem Gregorij ſuperueniente obitus Sixtus V. Piæ mem. ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumptus fuiſſet, idem Sixtus Bruto Farneto per alias ſuas litteras dedit in mandatis, vt in illis Monaſterijs in quibus ſeparationes factæ (vt præfertur) minimè fuerant conſtitutionem Gregorij exequeretur, menſasq; ſeparatas reuideret. Verùm cum ipſe Brutus præmiſſa totaliter adimplere minimè potuiſſet, ipſo etiam, ac ſucceſſiuè dicto Sixto Pontifice vita functo. Clemens VIII. recen: mem: volens. vt tam pium, neceſſariumq; opus omnino ſortiretur effectum eandem facultatem dilecto Filio Theodoro de Sauoca ipſius Ordinis Abbati Generali per alias litteras dedit, prout in omnibus dictis litteris plenius cōtinetur, qui Theodorus diuina fauente Clementia plures ſeparationes fecit, factaq; etiam iuxta ſibi tributam facultatem reuidit. Nos quieti, & perpetuæ tranquillitati, ac religionis, ipſiusq; Theodori Abbatis Generalis, & Monachorum indemnitati conſulere, eosq; ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxàt conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio non ad Theodori, ſeu Monachorum, vel alicuius alterius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex voto Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper conſultationibus, & negocijs Epiſcoporum & regularium deputatorum, prædictas Prædeceſſorum noſtrorum litteras, ac ſeparationes prædictas, tam Bru-

D. Theodorus de Sauoca Abbas Generalis conſtituitur à Clem. viij. executor vt dictas Mēſas ſeparet, reuideatq;.

Ex voto Cōgregationis Epiſcoporū, & Regularū confirmat omnes ſeparationes.

ti,

ti, & Theodori, ac quorumuis aliorum in vim litterarum prædictarum factas cum omnibus inde sequutis, ac prædicta omnia priuilegia cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus. Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes & singulos tàm iuris, quàm facti, & solemnitatum, etiam de iure necessariarum, vel aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, & alios defectus (si qui interuenerint) in eisdem supplemus, illasq; & illa ordini prædicto, illiusq; Abbati Generali, Abbatibus, Prioribus, alijsq; Superioribus, & fratribus suffragari, eosque vniuersos, & singulos illis frui, vti, & gaudere, vbi, quando, & quoties opus fuerit, posse, & debere, in omnibus, & per omnia; Sicque per quoscunque Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes, ac causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales iudicari, & diffiniri deberi, ac irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Dilectis Filijs Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & Apostolicæ Sedis delegatis, & Nuncijs per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta, quæcunq; eorum effectum sortiri, illisque omnes quos concernunt pacificè frui & gaudere; Non permittentes quempiam desuper contra præsentium tenorem per quoscunq; quomodo-

Cófirmat Priuilegia per Greg. xiij. Sixtũ v. & Clem. viij. concessa.

Annullat quicquid fuerit factũ cõtra dictas litteras Apostolicas.

do-

dolibet indebitè moleſtari ; Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras , & pœnas Eccleſiaſticas , & alia opportuna iuris , & facti remedia (appellatione quacunque poſtpoſita) compeſcendo . Inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis . Non obſtañ præmiſſis , ac piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de vna , & in concilio Generali edita de duabus dietis , dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur , alijsq; conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , ac eiuſdem Ordinis , etiam Iuramento , confirmatione Apoſtolica , vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus , priuilegijs quoq; indultis & litteris Apoſtolicis eidem ordini , illiusque Abbati Generali , ſeu Abbatibus & Prioribus , alijsque Superioribus , & Rectoribus , ſub quibuſcunque tenoribus & formis , ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs , alijsq; efficacioribus , & inſolitis clauſulis , ac irritantibus , & alijs decretis in genere vel in ſpecie , ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis , confirmatis , & approbatis : Quibus omnibus & ſingulis , etiam ſi de illis , eorumq; totis tenoribus ſpecialis , ſpecifica , expreſſa , & indiuidua , ac de verbo ad verbum , non autem per clauſulas generales idem importantes mentio , ſeu quæuis alia expreſſio habenda eſſet tenores huiuſmodi , ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxàt ſpecialiter , & expreſsè derogamus , contrarijs quibuſcunque . Aut ſi aliquibus communiter , vel diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum , quod interdici , ſuſpendi , vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam , & expreſſam , ac de verbo ad ver-

bum

bum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimaseptima Martij, M. D C V I. Pontificatus Nostri Anno Primo.

M. Vestrius Barbianus.